



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Archidiaconus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

nunc, sed à die, qua incipit obligare sac. Conc. quod fuit Kalendis Maii, 1564. prout in Bulla pii IV. sub datum Romæ, eodem anno Kalendis Augusti, Pontificatus ipsius anno quinto. adeò quòd illæ dicuntur factæ locationes à triginta annis citrà, quæ factæ fuerunt triginta annis antequam inciperent obligare decreta Concilii. Tertio, quòdnam dicatur tempus longum de jure communi, & quòd secundum dictam Paulinam de primo vide gl. in Clem. prima, in ver. ad tempus modicum, de reb. Eccl. non alien. ubi recitat varias opiniones, tamen gl. in Clem. Exivi, in ver. cumque annis reditus, in fin. dicit longum tempus esse ultra decennium, Navar. loc. cit. n. 151. gl. in l. codicillis, §. instituto, de leg. 2. Navar. in c. 1. §. 2. n. 5. de pœn. d. 1. tract. com. opin. c. de præscr. dicit decem, vel viginti annorum intelligi longum tempus: de secundo quo ad longum tempus ex dispositione tactæ Paulinæ, intelligitur ultra triennium, ut patet ex dictis. Tiraq. de utro. retrac. c. 1. gl. 6. n. 9.

Ad octavum. Navar. & Cajet. loc. cit. dicunt dictam Paulinam, alibi in nihilo esse receptam, alibi solùm quoad irritationem contractus, & sic videtur esse recepta in regno Neapolitano.

Ad nonum. Ordo S. Augustini Eremitanorum, habet hanc facultatem alienandi in emphyteusim bona ipsius ordinis, ultra triennium in evidentem Ecclesiæ utilitatem, Gregor. XIII. Bulla 9. fol. 1202. in Bullario, & hanc facultatem dicunt etiam habere fratres ordinis Prædicatorum, ut audivi in facto, sed non vidi.

Ad decimum. Si dubitatur in quibusdam contractibus antiquis alienationum

rerum Ecclesiasticarum, non adfuisse solemnitates extrinsecas, prout dixi superius, §. 4. dico quòd præsumitur omnes exhibitas fuisse, Casy. decis. 16. n. 1. Affl. et. decisio 368. Vide Gemin. in c. 1. vers. quare quare, de præscr. lib. 6.

Bullas, & constitutiones diversorum summorum Pontificum, dantes formas de materia, vide Rodoan. in ultima tract. de reb. Eccl. non alien.

Ad undecimum. Respondetur, quòd duæ, non una, quia agitur de præjudicio Ecclesiæ, prout Dec. in c. proposuisti, n. 13. de probat. §. quod autem, Auth. de non alien. reb. Eccl. Fel. & Abb. in d. c. n. 6. nisi una tantum persona petita reperiretur in loco, facit c. cum causam, de prob.

ARCHIDIACONUS.

Archidiaconus antiquitus de jure communi habebat multas jurisdictiones, quibus hodie vel per jus novum, vel per consuetudinem contrariam est privatus. Primò habebat perpetuam vicariam, & jurisdictionem ordinariam, cap. primo, & ibi gl. in ver. vicarium, & c. ad hæc, de offi. Arch. Sylv. in ver. Archidiaconus, §. 1. quod hodie nō habet, per Conc. Trid. sess. 24. c. 16. ubi capitulum eligit vicarium infra octo dies, de quo vide inferius in ver. Capitulum, §. 3. ergo Archidiaconus non est ipso jure Vicarius, sed potest dici, quòd infra illos octo dies Capitulo non eligente Vicarium, Archidiaconus est Vicarius ordinarius, ratio est, quia à jure antiquo non est recedendum, nisi quoad excepta in novo, in l. precipimus, C. de appellat. Navar. c. 22. n. 39. sed Concilium dat spatium Capitulo eligendi Vicarium infra octo dies, ergo

C 2 durante

durante ostendit restat Vicarius ipse Archidiaconus, de jure communi. Secundò institutio ad beneficia juris patronatus, per *d. capit. ad hęc, ver. in quadam* sed hodie non habent ipsi Archidiaconi: nam de consuetudine pertinet ad Episcopum, *cap. licet Episcopus, de prob. lib. 6. Covar. lib. 5. c. 16. num. 8. §. tertius, var. resol. & c. ex iuncto, in fi. de scrut. & Dyn. in c. 1. num. 4. de reg. iur. lib. 6.* sed ad dictum *c. ad hoc.* potest dici, institutionem ibi sumi, pro in possessionem missionem, quæ competit Archidiacono de jure, prout *gl. & Dyn. in d. c.* Tertio Archidiaconi præcedit Vicarius generalis Episcopi, vide *in ver. Vicarius concl. 15.* Quartò, nec causas matrimoniales, nec criminales, ut antea, per *c. licet, de pœn. Cõc. Trid. sess. 24. c. 20. §. ad hęc de refor.* Quintò, nec causas concubitus, *Conc. Trid. sess. 25. c. 14. de refor.* Sextò & quod dicitur de Archidiacono, idẽ dici potest de Decanis, & aliis dignitatibus inferioribus Episcopo, *Conc. Trid. loc. cit.* & licet de jure habeant jurisdictionẽ, non tamẽ in actu, per consuetudinem, *Gram. decis. 64. n. 23. & 4.* cætera remanent in robore suo nisi per contrariam consuetudinem divisorum locorum sint eis ablata, *argum. c. 1. de rescrip. lib. 6.*

ALTERNATIVA.

Primò quoad beneficialia; vide *in ver. beneficium, §. 2. fol. 4. & in ver. derogatio,* ubi habes quomodo prælati gaudeant alternativa.

Secundò, quando alternativæ dictiones non ponantur disjunctivè, sed augmentativè, vel declarativè, vide *in ver.*

beneficium, §. 8. Concil. quarto, & Gomet. in capitul. statutum, num. 23. & 43. de rescrip. libro sexto. Vide *Gemin. in capit. generali, notab. ult.* ex Archidiacon. *de elect. lib. 6.* ubi ait dictionem *sive,* aut *vel,* quando ponitur inter diversas voces, idem tamen significantes, exponi, pro *id est,* *Gl. in c. bona, de postul. prælat. eodem lib.*

Tertio, quando in alternativis sufficiat alterum tantum probari, vide *c. inter ceteras,* & ibi *Doct. de rescrip. Staph. de lit. grat. fol. 25. num. 5. & fol. 309. num. 2. gl. in c. ex parte, il primo, in ver. perpetuo, de rescrip. decis. Rot. 7. de rescrip. in novis,* & ibi addit, *c. in alternativis, & c. locupletari, de reg. iur. lib. 6.* & ibi *Dyn.*

Quartò, an in prælatibus inferioribus Episcopis, habentibus potestatem conferendi beneficia, prout dixi *in ver. beneficium, §. 2. fallen. 7.* habeat locum alternativa? Videtur quòd sic, quia si ligat majores, & minores ligare debet, & valet argumentum à majori ad minus, *Staph. fol. 190. numer. 6. & in præfatione lit. grat. n. 20. & 21. gl. in c. 1. in ver. Episcoporum,* & ibi *Gem. de temp. ordin. lib. 6.*

ARCHIEPISCOPUS.

SUMMARIUM.

1. Quod ius habeat in suffraganeos suos.
2. An possit exercere pontificalia intra provinciam suam.

AD Primum. Vide multa quæ dicuntur *in ver. appellatio,* & quæ dicit *gl. in c. pastoralis, de offic. ordin.* tamen dico; primò quòd Archiepiscopus est iudex ordinarius suorum suffraganeorum